

ad actum vitalem, ut talis est, quia oportet ut proxime procedat a principio intrinseco tanquam a propria et principali virtute agendi. Atque hæc ratio videtur maxime movisse Durandum in dicta dist. 31 tertiæ, quæst. 4, nam cum de visione beata non fuerit ausus negare esse supernaturalem quoad substantiam, consequenter de illa dicit non fieri ab intellectu, sed a sola essentia divina, *objective*, inquit, *et effective*.

12. *Secundum argumentum a simili, de actu volendi credere.* — Secundo, videtur similis ratio magis urgere in actu voluntatis credendi, vel quocumque alio formaliter libero, quod non habet actus intellectus, qui supposita voluntate necessario sequitur, et ideo in illo posset aliquo modo intelligi quod intellectus elevatus a Deo influat in actum supernaturalem quoad substantiam, quia in actu necessario potest intelligi motio Dei elevantis intellectum ad operandum supernaturaliter per modum instrumenti. In actu vero libero videtur hoc repugnare, quia ad libertatem actus necesse est ut ipsamet voluntas se determinet ad talem actum; huic autem determinationi repugnat præmotio principalis honestis elevantis instrumentum, quia instrumentum sic elevatum non a se, sed ab agente determinatur. Cum ergo voluntas credendi sit libera, ut supponimus, videtur impossibile quod eliciatur a potentia voluntatis, tanquam ab instrumento elevato per motionem gratiæ: ergo voluntas credendi non potest esse in substantia supernaturalis.

13. *Tertium argumentum quod non sint impossibiles actus illi naturales in substantia.* — Tertia ratio principalis est, quia non est impossibile intellectum vel voluntatem elicere circa talia objecta actus quoad substantiam naturales, quibus per divinam gratiam addatur modus aliquis supernaturalis; sed hoc satis est ut sint vera omnia quæ de necessitate gratiæ ad hos actus Concilia docent, et est facilius ad intelligendum et ad defendendum fidem contra omnes errores, et præsertim ad conciliandam gratiam cum libero arbitrio: ergo quamvis daremus esse possibles supernaturales actus quoad substantiam, non est cur asseramus illos esse necessarios ad salutem, vel propter illos esse necessariam gratiam. Major quoad priorem partem probatur; quia objectum fidei, sive ad intellectum, sive ad voluntatem comparatum, est nostris potentiis proportionatum, et sub generali propensione utriusque potentiæ ad suum adæquatum objectum comprehen-

sum: ergo utraque potentia potest circa illud actum naturalem quoad substantiam elicere. Antecedens patet, quia intellectus naturaliter fertur in omne credibile, et tanto magis propendet quanto magis apparet credibile: objectum autem fidei proponitur ut maxime credibile. Nec refert quod proponatur ut credibile ex testimonio Dei, quia hoc non est ultra naturale objectum et inclinationem intellectus, nam ratio naturalis, cognoscens Deum, etiam cognoscit Deum esse fide dignissimum, si aliquid attestetur: ergo ex hac parte potius est major naturalis inclinatio intellectus ad tale credibile. Aliunde vero cum in particulari proponitur objectum credendum, ratio ipsa naturalis iudicat, secundum prudentiam, esse valde credibile, dictum esse a Deo id quod proponitur: ergo potest intellectus circa tale objectum naturalem actum elicere quo credat, et hoc esse dictum a Deo, et ideo etiam credat esse verum; hic autem est actus fidei naturalis quoad substantiam.

14. *Probat deinde de actu voluntatis.* — Idemque argumentum magis urget in voluntate, quia illud objectum, ut credibile et credendum, proponitur tanquam quidpiam honestum et ideo volendum et amandum: voluntas autem naturaliter inclinatur in honestum, et in illud magis quod ut honestius representatur. Acceditque quod illamet honestas regulatur per rationem naturalem; nam, proposito objecto fidei, antequam homo credat, habet dictamen rationis naturalis, honestum esse credere id quod ostenditur adeo credibile, per quod iudicium voluntas illa regulatur et excitatur: ergo potest esse voluntas illa naturalis quoad substantiam, et per vires solas naturales voluntatis elicita.

15. *Quod naturali entitati addi possit modus supernaturalis, ostenditur.* — Quod vero illis actibus possit addi supernaturalis modus per gratiam, probatur ratione communi, quod multa sunt supernaturalia quoad modum, licet in substantia sint naturalia: nam humanitas Christi ens naturale est, et tamen, ut unita Verbo, est supernaturalis quoad modum, et ut existens sub speciebus Eucharistiæ est aliter supernaturalis quoad alium modum, et accidentia Eucharistiæ naturalia sunt, habent tamen supernaturalem modum: cur ergo non idem faciet Deus per gratiam in actibus quoad substantiam naturalibus? Præsertim quia multi modi supernaturales, præter substantiam eorum, a Theologis in his actibus excogitati sunt, ut videbimus.

16. *Congruentia.* — *Ostenditur item quod sit facilior.* — Denique quod hic modus sit facilior et aptior ad concordiam gratiæ cum libertate et cum propria efficientia nostrarum potentiarum, duæ priores rationes satis ostendunt; ita enim optime intelligitur voluntatem et intellectum cooperari partialiter coefficienti id quod est naturale in his actibus, Deum autem per gratiam suam supernaturalem modum eis adjungere. Quod denique hoc sufficiat ad fidei doctrinam sustinendam, patet ex illo additamento, *ad credendum, vel volendum, sicut oportet*, quod posuit Concilium Arausicanum, canon. 6, et Concilium Tridentinum, sess. 6, canon. 3; nam per illud verbum nihil aliud significatur, nisi hos actus debere fieri certo quodam modo, ut fiant sicut expedit ad salutem, ut etiam dixit idem Arausicanum, canon. 7. Quod vero ille modus substantialis vel essentialis esse debeat, hoc non dixerunt Concilia; ergo cum accidentalis modus possit sufficere, non est cur de substantiali interpretemur, et doctrinam fidei obscuriorem reddamus. Eo vel maxime quod etiam docent Concilia esse necessariam gratiam, ad servandam totam legem naturæ sicut oportet, id est, sine peccato gravi, et nihilominus ibi actus non sunt supernaturales quoad substantiam, sed quoad modum ratione talis gratiæ. Dicunt etiam initium salutis non esse ex nobis, sed ex gratia, et tamen non oportet illud initium esse supernaturale quoad substantiam; fit enim, ut dicit Concilium Tridentinum, per Spiritus Sancti inspirationem et illuminationem, quæ licet sint naturales quoad substantiam, possunt fieri ex gratia, quatenus præter cursum naturalium causarum possunt specialiter a Deo fieri, interiori peculiari modo ordinante species intellectus et affectum excitante: ergo idem dici potest de omnibus humanis actibus.

CAPUT V.

ACTUM FIDEI ET VOLUNTATEM CREDENDI, ESSE ACTUS QUOAD SUBSTANTIAM SUPERNATURALES.

1. *Assertio communis et vera.* — *Medina nimis in præsentia, et parum coherens.* — His non obstantibus, dico actum fidei Christianæ, quo intellectus debita certitudine credit quod Deus revelavit, supernaturalem in substantia esse, ideoque alium similem in entitate specifica fieri non posse per solas vires naturales intellectus. Hæc sententia est communis in Schola Theologorum. Illam indicavit Conrad. 1. 2,

quæst. 109, art. 4, ubi etiam idem sentit Medina. Imo in quæst. 62, art. 2, significat esse dogma fidei: nam dicit esse de fide, hunc actum, et alios duos theologicos spei et charitatis differre in genere naturæ, et secundum substantiam a similibus actibus acquisitis, *ad hunc (inquit) sensum, quod non differunt tantum quoad modum.* Quia de fide est, ut ait, auxilium gratiæ esse necessarium non tantum ad modum credendi, sed etiam ad credendum. Postea vero dicit non esse hæreticum dicere hos actus fidei infusæ et acquisitæ, tantum differre in genere moris, ac proinde non differre in genere naturæ, nam hoc excludit illa particula, *tantum*. Et ita videtur hæc assertio repugnare priori. Nam esse moris tantum est quidam modus accidentaliter actui in esse naturæ, quia actus secundum suam entitatem naturalem potest manere sine tali esse morali; ergo si non est hæreticum dicere actum fidei infusæ et acquisitæ solum differre in esse morali, profecto non est hæreticum dicere tantum differre in modo: ergo non est de fide quod differant in genere naturæ, et secundum substantiam, neque etiam est de fide auxilium gratiæ requiri ad hos actus ratione substantiæ eorum, et non tantum ratione modi: nam Concilia solum dicunt requiri ad credendum sicut oportet. Quo testimonio ipse probat non esse contra fidem dicere, solum requiri auxilium propter esse morale, idem autem dici potest de quocumque esse modalis. Imo illud de esse morali habet majus inconveniens in actu fidei, quia esse morale in tali actu non est nisi denominatio extrinseca ab actu voluntatis, et ita assensus intellectus, ut sic, posset fieri sine auxilio, dummodo ponatur auxilium necessarium in voluntate, ut bene moraliter velit talem actum, hoc autem dicere valde absurdum est, ut infra ostendam.

2. *Auctores alii hujus sententiæ.* — Omissis ergo exaggerationibus et censuris, melius dicit in conclus. 4 verisimilius esse, et divinæ Theologiæ magis consentaneum, hos actus differre in esse naturæ, et secundum substantiam. Idem sentit Bannez 2. 2, quæst. 5, art. 2, et quæst. 6, art. 1, et quæst. 24, ubi refert Canum. Idem sentit Viguer. ibi in Institut., cap. 10, § 3, vers. 16; Alvar., disput. 67, ad 4, dicens contrariam sententiam non esse probabilem. Sed (ut dixi) satius est ab his exaggerationibus abstinere. Eamdem opinionem sequitur Azor., 1 part. Institut. moral., lib. 3, cap. 24, quæst. 2, nam licet clarius de habitibus loquatur, idem tamen sentit de actibus. Ejusdem

opinionis existimo fuisse Molinam, quamvis soleat in contrarium allegari; nam in Concordia, quæst. 14, art. 13, disput. 15, § *Tertium*, ubi, loquens de his actibus qui conferunt ad vitam æternam vel justitiam, tanquam dispositiones vel merita, cum dixisset Concilia et Patres de illis docuisse non posse fieri sine auxilio gratiæ, subjungit: *Utrum ejusmodi dispositiones rationes formales haberent supernaturales, ut re ipsa habent, an solum supernaturali ope essent elicite, in re vero essent res naturales, neque erat satis cognitum, neque forte in controversiam vocatum.* Ubi adverto particulam illam, *ut re ipsa habent*, nam per illam fatetur hos actus in re ipsa habere rationes formales supernaturales, utique essentielles, nam de aliis non poterat dubitare, cum omnis alia ad modum actus pertineat, et necesse sit actum saltem quoad modum esse supernaturalem. Præterea paulo inferius, in eodem paragrafo, dicit actus quibus hæretici credunt aliquos articulos, solere vocari fidem quoad solam actus substantiam, ut discernatur ab actibus Christianæ fidei; ubi per substantiam actus clare intelligit solam communem rationem credendi tales res, actus vero ipsos semper indicat in sua entitate esse distinctos. Hoc vero evidentius declarat in disput. 7, ubi, tam in titulo quæstionis quam in initio, explicat quid intelligat per actum fidei, quoad substantiam tantum productum, et non qualis ad justificationem est necessarium. De quo actu naturali dicit infra, § *Nostram*, esse tantum opinionem et fidem humanam, et specie distinctam a supernaturali et Christiano assensu, qui per spiritum fidei infusæ elicatur.

3. *Anceps Cajetanus in hac parte.* — *Aperitius alii.* — Præterea Cajetanus 3, quæst. 76, art. 7, § *Ad evidentiam*, in hanc sententiam inclinare videtur, dum dicit naturale et supernaturale esse differentias entis et differentias modi faciendi, et in priore genere ponit charitatem, lumen gloriæ, et similia, quæ, inquit, *differentia a virtutibus naturalibus et aliis, quæ entia naturalia vocamus, penes naturale et supernaturale, quantum ad ipsa entia: sunt enim hæc ex suo genere supernaturalia entia, quia nulli enti possunt fieri connaturalia.* Ubi aliqui putant Cajetanum retractasse sententiam quam de his actibus aliis in locis docuerat. Sed ego valde dubito, nam de charitate habituali et virtutibus per se infusis loquitur, de quibus ipse nunquam dubitavit esse entia supernaturalia; de actibus autem nullam mentionem facit, de quibus contrarium docuit,

non obstante supernaturalitate habituum. Idem vero Cajetan. 2. 2, quæst. 17, art. 5, in principio, reprobatur Scoti et Durandi opinionem, dicentem habitum infusum solum dari ad promptius, firmiter, seu perfectius operandum; ipse vero docet habitum infusum dari ut determinent potentiam ad actus supernaturaliter bonos, et objecto supernaturali proportionatos. In quibus verbis videtur sentire hos actus esse ex objecto supernaturales, et consequenter in substantia sua et essentiali specie, nam hæc est quæ ab objecto sumitur. Ipse vero non explicat hunc sensum, nec declarat qualis sit illa bonitas supernaturalis, et post illa verba scripsit alia quæ ex quæst. 171 retulimus, et ideo vereor ne hoc etiam loco de aliqua bonitate accidentali, et præter substantiam actus locutus sit. Clarius ergo hanc docet sententiam Richard. in 3, distinct. 23, art. 3, quæst. 1, ubi aperte ait actus virtutum infusarum esse ejusdem ordinis cum illis, cum de habitibus tanquam clarum supponat esse secundum se supernaturalis ordinis, quod ibi specialiter docet de fide. Idem tenet Alens., 3 part., quæst. 64, memb. 2, in corpore, et ad penult., ubi distinguit fidem acquisitam ab infusa tanquam a forma per se supernaturali, et loquitur tam de actu quam de habitu, et similem doctrinam habet eadem 3 part., quæst. 27, memb. 4, art. 2, § 2, quibus in locis ita exponit Damasc., lib. 4 de Fide, cap. 11.

4. *Imo et D. Thomas.* — Denique dubitari non potest, quin hæc fuerit sententia D. Thomæ, nam ubique ponit virtutes infusas, tanquam per se postulantes illum modum productionis quem postulant quia sunt supernaturalis ordinis, et ideo semper conatur eis assignare objecta formalia supernaturalia, ut videre licet 1. 2, quæst. 62, art. 1, et quæst. 63, art. 3 et 4, ubi, in solut. ad 3, expresse dicit non esse supernaturales quoad modum, sed secundum se. Est autem manifestum, in doctrina ejusdem D. Thomæ, actus elicitos ab his virtutibus esse ejusdem ordinis cum ipsis: imo ad hoc constituere has virtutes, ut potentias ad similes actus elevent, ut patet ex dicta quæst. 62, art. 1, et in particulari de charitate 2. 2, quæst. 23, art. 2, et quæst. 24, art. 2, de qua plura in sequentibus videbimus. De fide autem sic inquit eadem quæst. 62, art. 3, ad 2: habere fidem et spem de his quæ sunt supra facultatem naturæ humanæ, excedit omnem virtutem homini proportionatam; ubi aperte loquitur de actuali fide, et ideo 2. 2,

quæst. 5, art. 2 et 3, semper distinguit secundum substantiam et speciem ab omni actu fidei, qui per vires naturales haberi potest, sive ab homine, sive ab angelo.

5. *Locus quidam ejusdem D. Thomæ afferitur in contrarium.* — *Exponitur.* — Solum ingerit difficultatem quod, 2. 2, quæst. 171, art. 2, ad tertium, dixit donum gratiæ interdum elevare hominem ad aliquid, quod est supra naturam humanam quoad substantiam actus, ut donum prophetiæ, interdum vero solum elevare quoad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, et addit: *Sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum, et ad hoc datur donum gratiæ habituale.* Responderi potest D. Thomam ibi non vocare substantiam actus essentialem entitatem et speciem ejus, sed genus commune cognitionis, vel amoris, juxta notationem positam in principio quarti capituli. Obstat vero huic objectioni, quia in hoc sensu nulla esset differentia inter fidem et prophetiam, quam D. Thomas ibi assignare intendit, nam etiam prophetia convenit cum naturali cognitione Dei in genere cognitionis rerum divinarum, et ita etiam per prophetiam solum elevabitur intellectus quoad modum cognoscendi, non quoad substantiam. Respondeo addendo non quæcumque convenientiam actuum in ratione communi vocasse D. Thomam substantiam actuum, sed illam quæ est in tendentia ad idem objectum materiale secundum eandem communem rationem tendendi, sicut amor naturalis et charitatis tendunt in Deum, ut bonum, et fides humana et infusa in Deum, ut credibilem. Prophetia autem non ita se habet ad intellectum humanum, sed elevat illum ad cognoscenda futura, quæ antea nullo modo attingebat; et ideo dicit D. Thomas elevare illum quoad actus substantiam, ut statim amplius explicabo.

6. *Cur expositio pro D. Thoma in gratiam primæ opinionis auctorum aliorum non adducitur.* — Interrogari enim potest cur non simili modo exponamus scholasticos antiquos, quos pro præcedenti opinione citavimus? Respondeo: ita aliqui conantur eos interpretari, sed frustra; est enim longe diversa ratio. Nam D. Thomas sæpe aliis in locis, et ubi ex professo rem tractavit, satis suam sententiam explicuit, declarando supernaturalitatem horum actuum ex objectis, et ex comparatione ad actus naturales similes et circa easdem res materiales, et ex modo productionis eorum, et propter illos ponendo habitus per se infusos

ejusdem rationis, seu ordinis. Solumque in illo loco, et per occasionem illo modo loquendi usus est, ut rationem redderet cur ad prophetandum non detur habitus, et detur ad credendum. Et illam tribuit, quia prophetia elevat intellectum quoad substantiam actus, non autem fides. Quæ ratio non esset bona si intelligeretur in sensu quo nunc loquimur, nam potius in hoc sensu inferendum esset ad prophetiam dari habitum supernaturalem, potius quam ad fidem, quia magis necessarius est habitus ad actum supernaturalem in sua entitate, quam ad actum supernaturalem tantum in modo. Non loquitur ergo D. Thomas in hoc sensu. Sed consideravit prophetiam esse de rebus quæ nullo modo cadunt sub cognitionem humanam, et ideo cognitionem illarum supernaturalem seu propheticam, non esse necessariam ad ordinarium cursum vitæ et actionum humanarum, ideoque non communicari per modum habitus, sed transeunter, juxta occurrentes opportunitates; objectum autem fidei et amoris, quod principaliter est Deus, cadit aliquo modo sub cognitionem humanam, estque maxime necessarium ad convenientem et ordinariam directionem vitæ et actionum humanarum, et ideo ad operandum supernaturaliter circa talem materiam elevantur potentiæ per habitus; hoc ergo est, quod D. Thomas explicare voluit per illa verba, *quoad substantiam*, vel *quoad modum*. Alii vero scholastici, non obiter sed ex professo rem tractantes, et non solum sub illo termino quoad substantiam vel modum, sed etiam sub nomine speciei et essentiæ, dicunt esse hos actus naturales, vel posse produci per vires naturæ, vel non differre ab actibus acquisitis, nisi in modo, assignando semper aliquem modum accidentalem, et ideo non possunt ad meliorem sensum trahi.

7. *Prima ratio pro assertione posita.* — Nostra autem assertio, quia supernaturalis est, probanda est supernaturalibus mediis, et quia non est expresse definita, ex principiis revelatis colligenda est. Primum ergo principium sit, quod Christianæ fidei habitus fidelibus infunditur, ut nunc suppono ex his quæ in sexto libro dicemus, ubi de virtutibus infusis ostendam esse in entitate sua supernaturales, et specie diversas ab omnibus virtutibus acquisitis, id enim in præsentem probare non est necesse, quia Scotus, Durandus, Cajetanus et alii qui de actibus hoc negant, de habitibus negare non sunt ausi. Ex hoc ergo principio sic colligimus: habitus non datur nisi propter actus;

ergo si habitus est in substantia supernaturalis, actus ejusdem substantiæ esse necesse est. Probatur consequentia; tum quia principium servat proportionem cum effectu, et e converso; tum etiam quia alias habitus acquisitus sufficere posset ad ejusdem ordinis actum.

8. *Evasio ex Scoto.*—*Rejicitur primo.*—Responderi potest ex Scoto in 1, distinct. 27, quæst. 2, et in 3, dist. 23, habitum infusum non poni propter efficientiam, sed propter convenientem dispositionem subjecti, ut actus ejus sint acceptabiles, vel proportionati ad vitam æternam. Sed hoc imprimis est contra ipsam rationem habitus seu virtutis; deinde si illud intelligatur de dispositione morali, quæ consistat in dignitate personæ, ad illam sufficeret unicus habitus infusus, nimirum gratia sanctificans, quæ constituit hominem participem divinæ naturæ, et dignum æterna beatitudine; ergo ad dignificandam personam non erant alii habitus virtutum necessarii. Neque etiam intelligi potest quomodo habitus dignificet moraliter actum intellectus, si non reddat illum meliorem in ratione cognitionis, nam in ratione actus moralis et humani totam dignitatem accipit ab actu voluntatis. Si vero dicitur illud intelligitur de dispositione physica, ita ut ratione illius actus sit in se melior, intelligi non potest quomodo habitus ita disponat potentiam, nisi dando illi aliquam virtutem agendi. Et ita tandem concludit Scotus, dicens, ut actus sit acceptabilis, non satis esse decorem personæ operantis, nisi actus sit in se melior ratione inditæ virtutis aliquid conferentis ad efficientiam actus.

9. *Secunda ratio.*—Atque hoc maxime confirmatur ex illo principio fidei, quod, ad hunc actum fidei et alios theologicos efficiendum, est necessarium aliquod principium supernaturale, dans vires potentiæ ad eliciendum hujusmodi actum, quia intellectus de se est impotens ad hujusmodi assensum fidei salutarem, ut in capite 2 ostensum est. Nam hinc concluditur habitum infundi tanquam principium activum talis actus fidei, ut est fides Christiana, et sufficiens fundamentum salutis. Quando enim deest habitus, hoc principium datur per aliquod auxilium vel specialem influxum Dei (si verum est, interdum fieri hunc actum, non concurrente habitu, quod postea videbimus). Illud porro auxilium est a Deo, ut assistente, seu est principium transiens, habitus vero datur loco illius, ut sit principium permanentis, et magis connaturale ipsi actui; ergo necesse est dicere actum esse ejusdem

ordinis, et supernaturalitatis cum habitu; ergo sicut entitas habitus tota est supernaturalis in substantia sua, ita etiam entitas actus. Accedit, quod si entitas actus in substantia est naturalis, et modus tantum esset supernaturalis, consequens esset ut homo solus faciat actum quoad substantiam, et gratia, sive sit auxilii, sive habitus (quoad hoc enim eadem est utriusque ratio), faciat solum modum supernaturalem in actu, si tamen aliquid in illo sit, nam si nihil ei addat, nullam profecto efficientiam poterit habere gratia.

10. *Progreditur superior ratio.*—Probatur ergo assumptum, quia vel auxilium gratiæ aut habitus efficit substantiam actus fidei, vel in illam non influit. Si dicatur primum, plane sequitur quod intendimus, actum illum esse supernaturalem quoad substantiam, nam ideo fit a gratia, quia non potest fieri per vires naturales potentiæ, et consequenter non est naturalis illi. Assumptum patet, quia eo modo quo gratia concurrat ad illum actum, concurrat ut principium necessarium, ita enim Concilia definiunt, contra Pelagium, gratiam dari, non ut homo possit facilius credere, sed ut absolute possit credere; ergo si gratia datur propter substantiam actus, profecto talis est illa entitas, ut simpliciter non possit fieri per vires naturales, et hoc vocamus esse supernaturale quoad substantiam. Si autem habitus, vel auxilium non concurrat effective ad substantiam actus, plane sequitur actum fidei Christianæ quoad totam substantiam suam fieri per solas vires voluntatis; hoc autem videtur absurdum, et parum consentaneum definitionibus Conciliorum: nam talis actus ex vi suæ substantiæ est motus fidei in Deum, et convertit hominem ab infidelitate ad veritatem fidei: hæc autem, et similia, dicunt Concilia non posse fieri sine viribus gratiæ. Et hoc incommodum ex sequentibus magis patebit.

CAPUT VI.

ACTUM FIDEI NON ESSE TANTUM SUPERNATURALEM IN FIERI, SED IN FACTO ESSE.

1. *An primus modus supernaturalitatis sit verus?*—*Opinio affirmans.*—Ut plenius ostendamus hos actus esse in sua substantia supernaturales, neque posse recte explicari necessitatem et efficientiam gratiæ per solum modum supernaturalem, discurrendum est per varios modos positos supra cap. 4, num. 4, in

quibus, juxta diversas opiniones, hoc esse supernaturale assensus fidei positum est. Primus est, ut modus supernaturalis consistat tantum in fieri talis actus, seu in causis ad illum concurrentibus, non in aliqua proprietate addita ipsi actui in facto esse. Supponimus enim, ex philosophia, hos actus esse qualitates, ideoque in eis considerari posse et qualitatem factam, et modum quo fit. Sicut ergo in illuminatione cæci nati, visus ei restitutus non est supernaturalis qualitas, neque in se recipit aliquem modum supernaturalem in facto esse, sed tantum modus effectiois est supernaturalis, quia est præter ordinem naturalium causarum, ita in præsentibus dicit hæc opinio, actum fidei in se non fieri meliorem per gratiam quam per naturam fieri posset, sed tantum fieri supernaturali modo, et inde supernaturalem denominari. Et hic modus dicendi videtur sumi ex Cajetano in dicto Opusculo, qui specialiter loquitur de amore Dei super omnia, et de contritione, sed a fortiori idem procedit in fide et aliis.

2. *Rejicitur proxima opinio imprimis ab absurdis.*—Hæc autem sententia nullo modo permittenda est; quis enim audeat dicere tam perfectum actum fidei fieri posse per vires naturæ, sicut fit per gratiam? Et tamen id aperte sequitur ex illa sententia, ut patet ex eodem exemplo adducto: nam tam perfectus visus potest fieri per naturam, sicut restituitur per miraculum; imo fieri potest ut idem numero restituatur, qui fuerat perditus, sicut Lazarus resuscitatus non habuit perfectius esse hominis per resurrectionem quam antea haberet. Item superiori libro dictum est sæpe actum virtutis acquisitæ, verbi gratia, eleemosynæ, fieri ex speciali auxilio gratiæ; sub ea ergo ratione actus ille poterit dici supernaturalis in fieri, non in facto esse, et ideo talis actus in se non est perfectior quam fieri possit per vires naturæ, si natura integra esset, vel absque impedimentis. Ita ergo in præsentibus, si actus fidei in se non est excellentior, sed tota supernaturalitas est in modo effectiois, poterit esse æque perfectus factus per vires naturæ, si ablati impedimentis liberum arbitrium sinatur operari quantum potest. Consequens autem est valde absurdum, nam inde sequitur posse hominem tam bona, pia ac firma voluntate velle credere omnes veritates fidei, et tam certo et infallibili assensu illis assentiri per vires sui liberi arbitrii, sicut alius credit per auxilium gratiæ. Item sequitur posse per solas vires arbitrii diligere Deum super

omnia, etiam ut finem supernaturalem, saltem in natura integra; quæ profecto Pelagiana sunt.

3. *Absurdum aliud.*—*Cajetani evasio impugnatur.*—Tandem sequitur fidem, vel dilectionem sic conceptam ex viribus naturæ, esse sufficiens justitiæ fundamentum ex parte fidei, et sufficientem dispositionem ad gratiam ex parte dilectionis, quod etiam Pelagianum est. Sequela vero patet, quia Scriptura promittit justitiam et remissionem peccati credenti, et diligenti super omnia, seu ex toto corde; ille autem sic credit et diligit, quandoquidem tam bene credit et diligit, sicut is qui ex auxilio gratiæ credit vel diligit. Respondet Cajetanus illos actus non acceptari nisi fiant ex gratia. Sed hoc est quod dicimus repugnare Scripturis, si actus in se sunt æquales. Quia Deus non promittit gratiam suam, nisi credenti et amanti perfecte; quod si, ut opus acceptetur, requiritur gratia, non est nisi quia, ut perfecte fiat, necessaria est gratia. Nam profecto si tam perfectam fidem haberet unus homo viribus suis, quam alius ex auxilio gratiæ, alienum a ratione et justa providentia esset acceptare fidem credentis ex auxilio, et non credentis ex propriis viribus, cum iste æquale bonum faciat, et alioqui plus de suo conferre videatur, sine auxilio alterius operans. Unde etiam illud consequens repugnare videtur Conciliis definientibus contra Pelagium, et ejus reliquias, non posse hominem credere suis viribus sicut oportet: nam illud, *sicut oportet*, ad qualitatem, vel perfectionem ipsius actus referendum est, non ad principium a quo fit actus; tum quia alias esset petitio principii, seu identica repetitio et inutilis definitio; nam sensus illius particule, *sicut oportet*, esset, id est, modo supernaturali in fieri. Unde perinde esset ac si diceretur esse necessariam gratiam ad credendum ex gratia, vel e contrario non posse actum fieri ex gratia sine gratia, quod profecto ridiculum est; tum etiam, quia illa particula videtur addita contra Semipelagianos, dicentes actus naturales esse meritorios gratiæ, vel dispositiones ad illam, et ideo Concilia dicunt actus hos non posse fieri per vires naturæ, sicut oportet, ut gratiam mereantur, vel ad illam disponant; hoc autem habent actus ex eo quod talis qualitatis vel perfectionis sunt; idem ergo significat, *sicut oportet*, ac dicere, cum ea perfectione actus, quæ necessaria est ad dictos gratiæ effectus. Atque ita in fide assensum esse sicut oportet, nihil aliud est quam esse ita in